



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Questio 1. Quando assumpsit in montem discipulos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

ARGVMENTVM.

Ontinetur capite decimo septimo insignis reuelatio facta in monte sancto, quâ gloriâ suam tribus Apostolis Dominus ostendit, præsentefque testes adhibuit Moysen & Eliam Prophetas. Occasione autem Eliæ soluit quæstionem de Elia, qui venerat in Ioanne Baptista, & venturus est in propriâ persona, omniaque restitutus. Lunaticum deinde sanat eiecto dæmonio, quod propter incredulitatem suam discipuli pellere nequiuierunt, atque etiam ideo, quia non nisi per orationem & ieiunium pelli hoc genus poterat. Tandem veniens Capharnaum didrachma soluit, ne scandalizaret exactores, alioqui protestatus liberum se esse, tanquam filium regis, atque vt se Dominum rerum ostenderet, statim ex ore piscis acceptum solui imperat. Syriaca Ecclesia cum vltimo cap. præcedentis versu legit in festo tabernaculorum. Vt supra exposui.

A versu 14. ad 22. vsque feriâ secundâ hebdomadis tertiâ ieiunij. Inde ad finem vsque feriâ tertiâ, tertiâ hebdomadis ieiunij. Ex quo apparet, aliisque similibus eam Ecclesiam tempore quadragesimali singulis diebus, alia atque alia Evangelia solitos proponere.

VERSVS I.

*Et post dies sex assumit Iesus Petrum
& Iacobum & Ioannem fratrem
eius, & ducit illos in montem excel-
sum seorsum.*

QVÆSTIO I.

Quando assumpsit in montem discipulos?

§. 1. **M**atthæus ait post sex dies, Marcus etiam, sed apud Lucam est *ὅτε ἦν ἡμέρη ὀκτώ*, quasi dies octo, facilis est tamen conciliatio. Lucas enim quasi octo dies confusè dicit, eo modo quo solemus dicere: octo dies circiter. Potest tamen dici, & post sex dies factum, & esse quasi octo dies. Vt Augustin. de consensu Euang. lib. 2. Chrysost. Hier. Damascenus, Theophylactus exponunt. Si enim inter sex dies non numeratur ille, quo Petrus eum increpuit & iussus est cessare, de tollenda cruce exhortationem audiuit, deinde dies ille, quo assumpsit discipulos excludatur, vt sensus sit inter diem quo hæc acta sunt, & eum quo Christus ascendit in montem sex integros dies intercessisse, verissime dixit Lucas fuisse quasi dies octo: primum enim & extremum adnumeravit sex intermediis, qui quia integri non fuerunt dixit quasi octo. Sic etiam Damascenus & Abul. q. 2. Mald. Barrad. Iansen. Hugo Carthusian. Beda.

§. 2. Cur post sex dies vel octauo die facta sit transfiguratio, causa certa dari non potest, nam quæ Rabanus de ætatibus mundi habet, coniecturæ sunt, quæ Origen. de numeris, ad historiam non pertinent. Eodem modo incertum, cur non statim sese glorificauerit, postquam dixit; sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec veniat regnum Dei: sed his non immoror. Vide Abulens. q. 4. & 5. momenta enim quibus singula perageret, posuit in sua potestate, & ratio quæ omnia argumenta exsuperat, est decretum diuinæ voluntatis, sæpe occultum, semper sapientissimum.

QVÆSTIO II.

Quis Mons?

§. 1. **D**icitur mons excelsus *הַר צֶלְצַל* opinio est, esse montem Thabor, quem Hieronymus in Galilæa collocat. Brocardus de situ terræ sanctæ, à Nazaretho abesse duas Leucas, Orientem versus, ef-

seque ibi ruinas palatiorum regalium. Inclytus fuit victoriâ Barac, & Deborah. Hegesippus Thabyrium appellat, alii Itabyrium. In Galilæa campo est, tribu Nepthalide; Chades & Edrahi vrbes vicinas habet, altitudo 30. stadiorum, planitiem habet 20. stadiorum, à septentrione est inaccessus, alius est in Ithachar Thabor, & latius patet. Sanctus Petrus vocat ex hac visione montem sanctum. Vide Iosephum lib. 4. de bello c. 2. Hieronymum de locis H. br.

§. 2. Lucas orandi gratia ascendisse narrat, *ἀνέβη* enim *ἡγεσθαι* solebat enim in montibus orare. Causa igitur præcipua erat, oratio, ante Transfigurationem, in ipsa, & post ipsam; nam & in monte pernoctarunt, sine dubio in oratione. Chrysostomus montis sublimitatem, conuenientem fu. sse, ad gloriæ sublimitatem ostendendam. Remigius vt animos significaret à terrenis rebus abstrahendos, & ad celestia extollendos. Noster Barradius recte docet celi Empyreæ altitudinem in qua gloriâ suam Deus patefacit monte adumbratam. In montibus potro pleraque olim gesta sunt, quæ admiranda fuerunt. In monte lex data, in monte maledictio & benedictio promulgata, in montem fugit Elias. Hic vero montem elegit victoriâ prophetisæ celebrem, vbi exercitus hostium cecidit.

QVÆSTIO III.

Cur tres solos?

§. 1. **D**ixit eos in montem excelsum *ἀνέβη*, quasi ferat sursum, alia exemplaria habent *ἀνέβη* sursum ducit. Syrus habet *ܩܕܝܫܐ* vbi miror cur Iun. & Tremellius verterint, subduxit, cum sit, sursum duxit; seu fecit ascendere. Duxit autem *καὶ ἰωάννην* seorsum ab aliis: Syrus *ܒܠܗܘܕܝܬܝܗܘܢ* baludithim. Tres solos accepit, quia ad Testimonium dandum sufficiebant. Præcipuos elegit, Petrum confessione recenti nobilem, & promissione clauium cæteris antelatum, Iacobum fratrem Ioannis, Ioannem longæuū & vltimum testem futurum, à Petro maxime diligebatur, & rationi consentaneum erat, amicos secretorum conosci reddere. Ioannem ipse diligebat castitatis prærogatiua carum, Iacobus inter primos semper fuit, cui & nomen Christus immutauit, ita Origen. Tract. 2. in Matth. Augustin. 2. ad Galatas. Chrysostom. hoc loco.

§. 2. Hoc tamen etiam hic obseruandum est, inter paucos illos etiam Petrum primo loco nominari: Vt primus primatui ubique Spiritus sanctus consular. Tres